Coesfelder Urkundenbuch.

I.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

1.

Die Stadt Münster beurkundet, daß der zwischen Münster, Osnabrück und Minden geschlossene Städtebund auch Coesfeld mitumfaßt. 1246.

Scabini totaque Monasteriensis civitas omnibus, ad quos presens scriptum pervenerit, salutem in perpetuum. Noverint universi, quibus presens pagina exhibita fuerit, quod nos civibus in Cosveldia in articulis conscriptis in privilegiis nostris sigillo nostre civitatis ac Osnabrugensis et Mindensis civitatis sigillorum munimine roboratis iuxta confederationis nostre formam et in omnibus angustiis et tribulationibus suis fideliter assistemus et ipsi nobis in nostris similiter necessitatibus assistere tenentur. Preterea omnia iura sive statuta, que civitas Cosveldensis hactenus habuit, rata et inconvulsa decrevimus permanere. Datum Monasterii anno Domini M°CC°XL°VI°, VIII° Ydus Augusti.

Orig. Stadt-Archiv Coesfeld Urk. I Nro. 7. Die großen Stadtsiegel von Münster und Coesfeld hangen an der Urkunde.

2.

Vergleich zwischen dem Kloster Varlar und der Stadt Coesfeld wegen des durch einen Mühlenbau verursachten Schadens. 1263.

Universis Christi fidelibus presentia visuris Wilhelmus dei patientia prepositus ecclesie Varlarensis totumque capitulum eiusdem loci salutem in Domino sempiternam. Ut rerum rite gestarum plenius valeat memoria, conservari cautum est et utile videtur, ut ea, que gesta sunt, sic presentium iuventur testimonio, quatinus omnia, sicuti gesta sunt, si necesse fuerit, liquere possint fidelium posteritati. Proinde dignum duximus cunctis constare fidelibus, quod, cum ecclesia nostra per molendinum opidanorum in Cosvelt gravamini succumbere videretur pro eo, quod agri ecclesie nostre in superiore parte eiusdem molendini siti ex obstaculo dicti molendini mersioni subiacerent et nos cum eisdem pro eodem gravamine non inmerito aliquanto tempore dissentiremus, talis inter nos mediantibus viris discretis et honestis amicabilis intervenit compositio, quod iidem opidani ad recom-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

pensationem dampni ecclesie nostre singulis annis statuto tempore, videlicet ante purificationem beate Marie virginis, tria maltia ordei persolvant, quousque infra, quod vulgo dicitur, wicbilde agros fertiles capientes decem scepel ordei mensure Cosveldensis, in quibus nobis merito sufficere debeat, ecclesie nostre assignent libere et quiete perpetuo possidendos hoc adiecto, quod, ne dissensio prehabita in posterum renovetur, cavebunt, ne meatus aque, obstante obstaculo molendini supradicti, metam de utrarumque partium consilio positam aliquatenus transcendat; preterea agri nostri pro parte submersi cum suis fructibus et pertinentiis ecclesie nostre sicut prius ex integro manebunt. Ut autem hec inviolabiliter observentur, presens scriptum consulibus in Cosveldia tradidimus sigillis prepositi et conventus in Varlar firmius roboratum. Testes Wilhelmus prepositus, Wilhelmus prior, Rychardus cellerarius, Arnoldus et Adolphus plebani et Albertus capellanus sancti Lamberti et Jacobus canonicus Varlarensis, Constantinus, Gerlacus Wullenslagere, Jordanus et Henricus de Havekesbeke et Henricus Marsilii scabini. Isti prememorati ex utraque parte arbitri constituti dictam compositionem ordinarunt. Cum autem hec ordinatio stabiliretur, presentes erant prepositus cum conventu Varlarensi, Bernardus iudex et scabini cum sua universitate et alii quam plures fide digni. Datum et actum Cosveldie anno Domini millesimo CC° sexagesimo tercio, sabbato ante festum apostolorum Phylippi et Jacobi.

Orig. St.-A. Coesfeld Urk. I Nro. 12. Beide Siegel an.

3.

Vergleich zwischen der Stadt Coesfeld und dem Ritter Blome wegen des durch einen Mühlenbau verursachten Schadens. 1264.

Ecbertus iudex et scabini in Cusfelt omnibus presentia visuris in perpetuum salutem. Quod cum tempore agitur, ne labatur cum tempore, perhennandum est testibus et sigillis. Noverint universi, quod nos domino Bernardo militi dicto Blome spacium circa ad manus sue domus contulimus in recompensationem agrorum suorum ex parte molendini nostri submersorum sub hac forma, quod ipse nec aliquis suorum heredum ab eo descendentium de facto predicto debent inpetere vel in aliquo molestare. In cuius rei testimonium presentem cartulam sigillo nostre civitatis fecimus communiri. Datum anno Domini M°CC°LX quarto in vigilia Johannis baptiste. Testes Henricus de Havekesbeke et Jurdanus magistri scabinorum, Constantinus, Bernardus Niger, Conradus de Bruchusen et omnes scabini.

Orig. St.-A. Coesfeld Urk. I Nro. 13. Das Siegel (verletzt) an.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

4.

Der Abt von Werden schreibt an die Stadt Coesfeld in betreff zweier hörigen Leute seines Klosters. 1272.

Albero dei gratia abbas monasterii sancti Ludgeri in Werdina viris honorabilibus et discretis iudici, scabinis, consulibus ac universis burgensibus in Cusveldia salutem et dilectionis affectum. Regratiamur vobis super eo, quod hiis diebus Johannem Tilemannum et Conradum homines sive inquilinos nostros, cum se asserebant ad nostram ecclesiam pertinere, benigne et favorabiliter pertractastis, prout yd nobis retulerunt. Quocirca honestatem vestram affectuose rogamus, quatenus moneatis Arnoldum de Havekesbeke, qui eosdem obligari et arrestari coram vestro iudicio procuravit ea occasione, quod ad virum nobilem dominum .. de Bruke pertinerent, ab ipsorum impedimento penitus conquiescat, quod nichil iuris habent cum eodem, sed ad nostram ecclesiam pertinent pleno iure. Et hec tenore presentium protestamur. Datum anno Domini M°CCmoLXXmo secundo in die beati Johannis ewangeliste.

Orig. St.-A. Coesfeld Urk. I Nro. 15.

5.

Das Cisterzienser-Frauenkloster Rengerink überträgt dem Kloster Marienborn in Coesfeld einen Zehnten aus den Höfen Herkink und Bollink bei Vreden. 1277.

B. soror abbatissa totusque conventus Cisterciensis in Renggerinc omnibus hanc litteram inspecturis devotas orationes in Christo. Quoniam ea, que in tempore aguntur, cum tempore labuntur, nisi scriptis et sigillorum inpressionibus roborentur, noverint igitur tam presentes quam presencium successores, quod nos unanimiter decimam apud Vredene sitam, que nostra erat propria, scilicet de domo Herikinc, que solvit viginti septem modios ordei et decem et septem modios siliginis cum decima minuta per mensuram abbatie eiusdem loci et de domo Bulcinc, que solvit decem mensuras siliginis decimalis mensure ecclesie in Cosveldia nostri ordinis, pro decem marcis vendidimus, quo eam renuimus eo iure. Ut hec satis rata et inviolata permaneant, hanc litteram contulimus nostri sigilli munimine roboratam. Datum anno Domini M°CC° septuagesimo septimo feria VI. ante festum omnium sanctorum.

(Siegel ab.)

Angeheftet ist folgende Urkunde: Jordanes de Tethe maioris ecclesie Monasteriensis canonicus et archidiaconus in Vrethene

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

universis presens scriptum intuentibus salutem. Notum tam futuris quam presentibus esse volumus, quod Bernhardo dicto de Horste decima maior et minuta duarum mansuum, que dicuntur Herikinc et Bollinc, in parrochia Vrethene per iustam sententiam in synodo generali Monasterii coram nobis est adiudicata. Ut non in posterum ab aliquibus successoribus irritum fiat hoc factum, sigilli nostri munimine protestamur.

(Siegel an).

Orig. St.-A. Coesfeld Urk. I Nr. 227; Regest nach einer Abschrift bei Wilm. U.-B. III. Nr. 1031.

6.

Vereinbarung der Stadt Vreden mit der Stadt Coesfeld betreffend Nichtbeschlagnahme der Personen und Güter der beiderseitigen Bürger. 1279.

Ut presentibus tollatur dubium et futuris veritas elucescat, nos iudex et scabini in Frethene notum facimus universis presens scriptum visuris et audituris, quod nos attendentes utilitatem oppidi nostri et commodum statuimus pactum amicitie cum civibus Cusveldensibus et ordinavimus, quod cives eorum ad nos ob spem melioris fortune venientes sive alio modo oppidum nostrum transeuntes non arrestabuntur a nostris oppidanis nec molestiam occupationis sive gravaminis alicuius sentient in personis vel in rebus, nisi primo fuerint per iusticiam prosecuti, et idem facient nobis et nostris civibus versa vice; preterea volumus, ut, quicunque ex nostris sive ex suis bona aliqua in manus alterius crediderit sive ad credentiam exposuerit, ab eadem manu repetet, que bona decreverit exponenda. Ut autem predicta ordinatio et statuti compromissio rata maneat et inviolabiliter observetur, presentem cartulam eisdem dedimus sigillo civitatis nostre communitam. Datum et actum anno Domini M°CC°LXXIX° in octava Pasce.

Orig. St.-A. Coesfeld Urk. I Nro. 16. Das Siegel ab; die rotseidenen Fäden desselben hangen noch an.

7.

Bischof Eberhard von Münster bestätigt der Stadt Coesfeld ihre Vorrechte. 1280.

In nomine Domini Amen. Everhardus dei gratia Monasteriensis ecclesie episcopus omnibus salutem in perpetuum. Quoniam imminute sunt veritates a filiis hominum et posteri quandoque venire volunt contra facta suorum antecessorum, cau-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tum est salubriter et provisum, ut, quicquid inter homines memoria dignum geritur, ad noticiam posterorum voce testium vel scripturarum testimonio transferatur. Eapropter, cum summo opere sit agendum, ut unicuique uti liceat suo iure et nullus in aliena manus extendere presumat, notum esse volumus universis hanc paginam visuris vel audituris, nos civibus nostris de Cosveldia perpetua tradicione ac voluntaria contulisse, quod per aliquam proclamationem nullus ipsos poterit evocare, nisi prius fuerimus requisiti vel ibi fuerit delicti evidencia perpetrati. Confirmamus etiam omnia iura predictis civibus a nostris antecessoribus concessa volentes, ea inviolabiliter perpetuo ab omnibus observari. Ut igitur hec traditio nostra stabilis in evum permaneat et per succedencium calumpniam infirmari non possit, presentem paginam exinde conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Datum et actum anno Domini M°CC°LXXX° mense Maio in crastino beati Servatii coram testibus subnotatis: Henrico dicto Kersekorf nostro officiali, Alberto dapifero, Henrico Selekine, Hermanno Monetario militibus, Ottone Kersekorf, Wescelo de Kamenata, Johanne Menburgis, Henrico de Flameshem, Ottone dicto Olmekere, Bernhardo dicto Rike et aliis quam pluribus fide dignis.

Orig. St.-A. Coesfeld Urk. I Nro. 18. Siegel an rotseidenen Fäden anhangend.

8.

Die Äbtissin des Klosters Metelen setzt ihrem früheren Amtmann Hadewerk Blome und dessen Frau, welche dem Kloster 10 Mark übertragen haben, eine Rente aus den Erben Hellegerink, Polink und Vockink aus. 1281.

Nos dei gratia Ger(trudis) abbatissa, M(echtildis) priorissa totusque conventus ecclesie in Metelen universis presentia visuris notum esse volumus et presentium tenore protestamur, quod dilectus noster quondam officialis Hadewercus dictus Blome ac uxor sua G. zelo Spiritus sancti ducti ecclesie nostre X marcas in remedium animarum suarum contulerunt, ita ut memoria ipsorum post decessum eorum apud nos maneat in eternum. Nos vero caritati eorum in aliqua parte obviare volentes ipsis, quoad vixerint, pensionem de Hellegerinc, etiam pensionem de Polinc et de Vockinc conferimus et relinquimus tali conditione interposita, quod, si causa paupertatis vel alterius infortunii pensionem debitam solvere non possent, concedimus, ut in abbatia nostra alias eligant, ubi eisdem placuerit, equivalentem pensionem. Tales

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

igitur pensiones supradictis H. et G. usque in finem vite sue irretractabiliter permanebunt etiam, si aliquando deo inspirante ad aliquam se transtulerint religionem. Possunt etiam ipsi pensiones prefatas alicui amicorum suorum conferre, si ita voluerint, eo tamen iure, quod ipsi videntur possidere. Hadewercus etiam et uxor sua adhuc maiori devotioni inhiantes promittunt sub protestatione littere presentis, quod H. uxore sua mortua ecclesie nostre relaxet unum maltium siliginis; ipsa vero, si viro suo supervixerit, unum maltium siliginis et unum maltium ordei nostre ecclesie tunc relaxat. Ut hoc factum per iniuriantes non veniat ad retractum apud posteros et presentes, presens scriptum sigillorum nostrorum munimine et testium subscriptione dedimus roboratum. Hii testes sunt dominus Lambertus officialis huius cenobii, dominus Herm. de Welleberge, dominus Johannes, qui servat altare sub choro beati Thome, dominus Gotfridus vicarius domini Lamberti, Gerlacus de Velthus, Arnoldus de Cukelen, Dithardus officialis ibidem. Datum et actum anno Domini M°CC°LXXXI in festo Epiphanie.

Orig. St.-A. Coesfeld Urk. I Nro. 19. Siegel der Äbtissin (Umschrift: Gertrud. abbatissa i(n) Metelin et i(n) Nutlon) anhangend; 2. Siegel ab.

9.

Richter, Rat und Schöffen der Stadt Coesfeld bekunden die Stiftung des Stolterinkschen Beguinenhauses. 1288.

Nos . . iudex, consules et scabini opidi Cusveldie universis presentem paginam inspecturis notum esse volumus, quod Margareta dicta Stolthirinc begkina constituta coram nobis in figura iudicii domum suam et aream a quinque begkinis, quarum hec sunt nomina: Wendelburgis, Walburgis cum altera Walburgi, Megthildis et Gertrudis, secum inhabitandam hospicio et usui fratrum minorum, reservato sibi regimine predicte domus, quoad voluerit et valere potuerit, plene et libere deputavit iure opidi nostri et dominorum de Warlare a sepe dictam domum inhabitantibus requirendo salvo per omnia remanente. Cum vero aliquam seu aliquas de predictis mori contigerit vel pacis emulam seu castitatis inimicam propter alterum vel utrumque eorum de domo expellendam expelli, remanenti numero begkinarum non fiet addicio, nisi de gardiani et fratrum minorum de Monasterio consilio et assensu. Huius rei testes sunt Alardus plebanus dominarum, Theodericus iudex dictus de Grunlo, Henricus Selekinc, Johannes de Cusveldia, Arnoldus dictus Scule et Wescelus de Camenata milites, Macharius filius Wesceli, Henricus dictus de Vlamesch,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Nycolaus de Tuncgerlo, Johannes dictus Bulhorne, Henricus Rufus, Gerhardus de Reken, Lambertus de alta domo, Hermannus de Vesthe, Bertoldus Suende et alii quam plures. Ut autem predicte domus usudeputatio firma et inconvulsa permaneat, presentem paginam munimine sigilli opidi nostri duximus roborandam in evidens testimonium premissorum. Datum anno Dom. mill°. CC° octog°. VIII°.

Orig. St.-A. Coesfeld Urk. I. Nr. 305. Siegel ab.

10.

Bürgermeister und Schöffen der Stadt Coesfeld bekunden gewisse rücksichtlich des Beguinenhauses Stolterink getroffene Bestimmungen. 1292.

Noverint universi presentium litterarum inspectores, quod Margareta dicta Stolterinch in figura iudicii constituta coram consulibus, magistris scabinorum et scabinis domum dictam Stolterinch propria voluntate contulit benignis in eadem domo existentibus, quocunque nomine fuerint nominate, iure opidi Cosveldie et dominorum de Varlere per omnia reservato. Post decessum vero benignarum, seu recessum causa incestus, quod deo dante non continget, sive modicum fuerit sive parvum, quod intus vel foris domum habuerint, id totum ad utilitatem earundem in dicta domo permanebit. Predicte enim nullam iuvenelarum sibi assumere possunt, nisi illud fiat cum consensu fratrum minorum de Monasterio et licencia speciali. Hiis actis accidit postea, ut due benigne in eadem domo existentes emerunt (!) ortum contra Gretam Stolterinch; rationabiliter atque rite huius orti tertiam partem Walburgi cognate sue assignavit; quam partem necessitatis causa vendere non poterit neque debet, sed, si sibi placuerit, de particula talis orti reditus sumet sive recipiet annuatim ita, si se caste tenuerit et pudice, et post obitum ipsius talis tertia pars attinet sive cedit domui supradicte. Huic autem proinde ordinationi ac emptioni, cum fieret, astiterunt homines, quorum nomina subsequuntur, videlicet dominus Alardus plebanus de claustro, Arnoldus Sculinc, Hinricus de Selekinc, Wescelus de Kamenata milites, Theodericus de Gronlo, Macharius de Kamenata, Johannes Oden filius, Lambertus de Honhus, Petrus Judex, frater Antonius de Dungelen, Hinricus de Flameshem et Johannes filius suus, Hinricus Pepinch, Bernardus apud Fossam, Nicholaus de Tungerlon, Joh. Bolehoren, Hinricus Ruphus, Hermanus de Varsthe, Bertoldus in platea Monasteriensi, Joh. de Harlere et

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quam plures alii. Ut autem presens factum ratum et firmum permaneat et stabile iugiter ab omnibus perseveret, preterea presentem litteram sigillo nostre civitatis sigillatam dictis iuvenellis contulimus ad cautelam. Datum anno Dom. incarnationis millesimo ducentesimo nonagesimo secundo feria II. post octavas Pentecostes.

Orig. St.-A. Coesfeld Urk. I Nro. 306. Siegel an.

11.

Revers der Stadt Deventer über den mit der Stadt Coesfeld geschlossenen Frieden. 1293.

Discretis et honestis viris consulibus et scabinis in Cosfeldia scabini et consules Daventrie salutem cum affectu. Litteris vestris receptis super treugis et pace, que stabit inter vestros atque nostros burgenses a dominica, qua cantabatur Jubilate, anno Domini M⁰CC⁰ nonagesimo tertio ex parte vestra, discretioni vestre significamus in hiis scriptis, quod nos atque nostri concives treugas predictas cum pacis firmitate volumus fideliter observare. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Datum in die Georgii martyris anno, ut supra; et valet usque ad crastinum epiphanie Domini proximo venturum.

Orig. St.-A. Coesfeld Urk. I Nr. 22. Siegel (Umschrift verletzt) an.

12.

Gerichtlicher Vergleich zwischen Johann v. Elen und Hermann v. Thunen. 1295.

Nos, Johannes Vriselere tunc temporis iudex in Cosveldia, Lambertus de Honhus, Wernerus Matenrenth magister scabinorum ibidem recognoscimus in hiis scriptis, quod omnis dissentionis materia sive discordie scrupulus inter Johannem de Elen ex una parte et Hermannum de Thunen ex alia parte coram iudicio nostro in Cosveldia amicabiliter est determinata penitus et sopita ita, quod parti utrique suffecit coram nobis et omnibus ipsorum fautoribus et amicis super ista tenenda: Johannes de Elen famulus constituit quatuor fideiussores, videlicet Gerhardum de Ramesberge militem, Henricum Vunken, Henricum de Penbrocke, Wilikinum de Depenbrocke; idem vero Hermannus de Thunen versa vice constituit sex fideiussores, scilicet Henricum de curia Hech, Gerhardum Bekehus, Arnoldum de Heyde, Rudolphum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Rathardinch, Everhardum de Brochus, Otbertum de Brochus, ut compositio, que sequitur, ex utraque parte actorum et fideiussorum stabilis et firma iugiter perseveret, quam compositionem omnibus audientibus pronuntiamus in hunc modum: Hermannus de Thunen famulus attinens Johanni de Elen, si sue fuerit voluntatis, Monasterii vel Cosveldie aut in parochia Hech sive in diosesy Monasteriensi poterit facere mansionem, sed semper idem famulus in servitio et famulatu Johannis de Elen permanebit et nulla exactio, quamdiu vixerit, ex parte Johannis vel suorum fiet circa ipsum, sed, si eundem peregrinari contigerit partes in longinquas vel si cum rebus suis ad emendum et vendendum loca petierit aliena, infra annum et diem redibit, tunc nullus fideiussorum suorum pro excessu redargui poterit vel debebit; item, si Hermanus non vult colere sive seminare dictos agros domus, in qua pro nunc morabatur, tunc Johannem in suo iure non artabit nec molestias inferet dampnum faciendo; si autem proposuerit colere dictam domum, tunc prefatus Hermannus Johanni predicere debet more et iure aliorum bonorum agricolarum, domum quod exeat et recedat, et sic Hermannus intrabit domum colendo eandem nullo penitus reclamante, sed semper dabit debitam domus pensionem. Si enim Johannes infringerit presens scriptum, fideiussores ipsius Cosveldiam venient, cum fuerint requisiti numquam exituri, nisi prius singula promissa fuerint observata et super Johannes de Elen paratus erit Hermanni fideiussoribus stare iuri et iustitiam exibere. Huic facto, cum fieret, astitit Johannes filius Oden, Willikinus de Traiecto, Gotfridus de Pothof, Walterus de Dulmania, Theodericus Lapicida, Bernardus, Rotgerus fratres dicti Honesche, Hermannus Duvenbeke, Johannes Marcoldeswich, Gotfridus Cobbinch, Theodericus de Gronlo, Mathias Saxe, miles Ludolphus de Asbeke, Albertus de Hech, Johannes Bever, Cesarius de Bach. Ista vidimus et audimus et presentibus nostris litteris sigillatis una cum sigillo militum et famulorum de Novo castro confirmamus. Datum anno Domini MCC nonagesimo quinto, sabbato post inventionem sancte crucis.

Orig. St.-A. Coesfeld Urk. I Nro. 24. 1 Siegel ab, 1 (verletzt) an.

13.

Bürgermeister und Schöffen der Stadt Coesfeld bekunden einen Ackertausch zwischen dem Bischofe Otto von Münster und dem Knappen Heinrich Blome zu Coesfeld. 1302.

Universis, ad quos presentes littere pervenerint, .. consules et scabini .. oppidi Cusvelt notitiam veritatis. Noveritis, quod

in nostra constitutus presencia Henricus dictus Blome famulus nostri ·· oppidi recognovit, se pro quibusdam agris iuxta oppidum Cusvelt sitis quatuor molt in semine capientibus, quos venerabilis pater dominus noster Otto Monasteriensis ·· episcopus sibi proprietatis iure in permutatione seu concambio contulit, bona sua infra scripta, videlicet agros dictos Bennincroth capientes in semine quinque molt, et domum in Bordenstocke cum agro adiacente capiente octo modios in semine ac agrum, quem emit a Henrico Ruso sex modios in semine capientem, que bona proprietatis iure tenuit et possedit, prefato domino nostro ·· episcopo et ecclesie sue in locum et ius agrorum predictorum ad permutationem et concambium reddidisse dicta bona ab ecclesia Monasteriensi directo feodo iure homagii perpetuo detinenda. In cuius rei testimonium ad peticionem dicti Henrici sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Datum anno Domini millesimo trecentesimo secundo feria II. post festum beati Andree.

Orig. Staatsarchiv Münster, Urk. der Stadt Coesfeld Nr. 1. Siegel ab.

14.

Bischof Otto von Münster überträgt dem Ritter Albert Blome den Wetekamp vor dem Süringsthore der Stadt Coesfeld als Eigentum gegen das Haus Heinrichs v. Vokelo im Kirchspiel Dülmen. 1303.

Otto dei gracia Monasteriensis ecclesie episcopus universis presentia visuris vel audituris salutem cum noticia veritatis. Noveritis, quod nos dilecto nobis Alberto dicto Blomen militi proprietatem agrorum satili(ta)tis sive campi dicti Wetecamp siti iuxta portam opidi Cosveldie dictam Süringsporte, qui campus quondam fuerat domini Wesseli de Camenata, damus et dedimus per presentes recipientes ab eodem milite proprietatem domus Henrici de Vokelo site in parochia Dulmen pari permutationis titulo pro eadem. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum Horstmarie anno Domini millesimo trecentesimo tertio, in crastino beati Blasii martiris.

Aus dem Kopiar des Archivs des großen h. Geist-Armenhauses zu Coesfeld, Urk. Nr. 3 (nach Nieserts Abschrift, Staats-A. Münster Mskr. III 32.)

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

15.

Die Gebrüder Goldschmied schwören der Stadt Coesfeld Urfehde. 1303.

Wy, Berent, Herman unde Ghert, brodere, zelighen mester Hermans zone, des Gholtsmedes, doet kundich allen luden, de dessen breef zeet ofte horet lezen, unde bethughet openbare, dat wy hebbet ghedaen unde doet in dessen breve ene olde vaste unde stede orvede, up den hilighen ghezwaren, alze van unses zelighen vaders weghene der stat van Cosvelde, de ewelike van uns to holdene unverebroken. Uppe dat desse loefnisse vast unde stede van uns gheholden werde unde blive, zo hebbe wy, Berent, Herman und Ghert vorscreven, dit bezeghelt. Datum anno Domini M°CCC° tercio in vigilia beati Clementis pape.

Orig. St.-A. Coesfeld Urk. I Nro. 25. 3 Siegel an.

16.

Otto, Bischof von Münster, bewilligt der Stadt Coesfeld zu Behuf des dort angefangenen Baues der Stadtmauer die Erhebung gewisser Steuern auf 4 Jahre. 1303.

Nos Otto dei gratia Monasteriensis ecclesie .. episcopus universis presentia visuris et audituris tenore presentium publice protestamur, quod dilectorum nostrorum .. ministerialium, .. scabinorum et universorum .. oppidanorum nostrorum in Cusveldia commorantium precibus inclinati necnon inspecta necessitate et utilitate structure ibidem inchoate ipsis de gratia contulimus et conferimus per presentes, quod a festo Nicholai proximo nunc venturo ad quatuor annos continue se sequentes auctoritate nostra et speciali licentia ad opus structure muri ibidem incepti perficiendi de qualibet carrata sive plaustro vini ibidem venditi duos solidos denariorum legalium et bonorum, de qualibet braxatura cervisie tres denarios, de quolibet laneo panno lato et integro a vendente denarium et ab emente denarium et de stricto laneo panno, qui vulgariter smallaken dicitur, obulum ab emptore et obulum a venditore poterunt recipere contradictione qualibet postergata. Adicimus etiam, quod devolutis hiis quatuor annis predicte structure usui et commodo deputatis presens nostra donatio irritetur nec quisquam hominum nisi de nostra vel successorum nostrorum licentia sibi ius vendicare poterit super isto, ex tunc precise volentes dicti nostri oppidi Cusveldensis iura ab antiquis temporibus observata in suo robore penitus permanere. In cuius rei evidens testimonium sigillum nostrum pre-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sentibus est appensum. Datum et actum Monasterii anno Domini millesimo CCC° III° in die beati Andree apostoli.

Orig. St.-A. Coesfeld Urk. I Nr. 26. Siegel an. Druck: Niesert, Münst. Urk.-B. I 2. S. 483 f.

17.

Bischof Otto von Münster bestätigt die Vorrechte der Stadt Coesfeld. 1304.

Gleichlautend (keine Zeugenangabe) mit Nr. 7. Datum tertio Nonas Aprilis. Orig. St.-A. Coesfeld, Urk. I Nr. 27. Siegel an rot- und blauseidenen Fäden an.

18.

Bischof Otto von Münster erläßt den Bürgern von Coesfeld die Abgabe vom Sterbefall auf 6 Jahre. 1306.

Otto dei gratia Monasteriensis ecclesie .. episcopus universis presentia visuris et audituris notitiam veritatis cum salute. Noveritis, quod propter specialem favorem, quo .. oppidanos nostros in Cosvelde prosequimur, ut dicti oppidani nostri eo validius nobis servire valeant, ipsis concessimus et per presentes concedimus, quod, si forte ex morte alicuius eorundem aliquod herwadium equi vel dextrarii erogandum fuerit seu ad nos devolvi contigerit, dicti .. oppidani ad prestationem sive erogationem huiusmodi herwadii minime teneantur; immo ipsum herwadium in decedentis seu defuncti domicilio volumus permanere iure tamen ministerialium nostrorum nobis salvo, quod nobis specialiter reservamus presenti concessione nostra post sex annos proximos minime valitura. In premissorum testimonium sigillum meum presentibus est appensum. Datum Monasterii anno Domini M°CCC° sexto, die beati Luce ewangeliste.

Orig. St.-A. Coesfeld Urk. I Nro. 28. Siegel ab. Druck: Niesert, M. U.-B. I 2 S. 485.

19.

Bischof Konrad von Münster bestätigt die verbrieften Rechte, Freiheiten und Gewohnheiten der Stadt Coesfeld. 1306.

Orig. St.-A. Coesfeld Urk. I Nr. 29. Siegel meist ab. Druck: Niesert, M. U.-B. I 2 S. 486.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

20.

Landesprivilegium Bischof Konrads von Münster. 1309.

Datum per copiam.

Nos Conradus dei gratia Monasteriensis ecclesie ·· electus et ·· confirmatus universis, ad quos presentes littere pervenerint, cupimus notum esse et publice recognoscimus per easdem, quod inspectis circa hoc evidente utilitate et urgente necessitate nostrarum ecclesie et dyocesis nostris et ipsius ecclesie nostre ·· nobilibus, ·· ministerialibus et vasallis civitati Monasteriensi ac oppidis dicte ecclesie nostre subiectis pro auxiliis et obsequiis eisdem ecclesie et dyocesi nostris per eosdem impensis et impendendis de communi consensu et voluntate honorabilium virorum ·· prepositi, ·· decani et ·· capituli dicte nostre ecclesie necnon ·· nobilium, ·· ministerialium, ·· vasallorum civitatis ac oppidorum nostorum predictorum concessimus et statuimus infra scriptas gratias ex nunc perpetuo duraturas, quod videlicet de cetero liberis et heredibus masculini sexus non existentibus bona, que tenentur ab ecclesia nostra, sive sint mangut sive denstmannegut, ad filias sicuti ad filios per successionem hereditariam devolventur. Item jura, que vulgo appellantur gerade et herewede, ex morte quorumlibet per nostras civitatem et dyocesim relicta, que quidam antecessores nostri ab olim percipere consueverunt, nos vel ·· successores nostri tollere et percipere ammodo non debemus, sed ille tollet et percipiet, cui iure cognacionis vel successionis hec competere dinoscuntur. Hereditates etiam per easdem nostras civitatem et dyocesim per mortem defunctorum ubilibet relicte absque aliquorum contradictione eis debent assignari de nostris civitate, oppidis et munitionibus, si infra eas relicte fuerint et invente, quibus de iure fuerint assignande. Preterea ad universitatem causarum ecclesiasticarum nos vel ·· successores nostri nullum deinceps habebimus vel statuemus ·· officialem, sed, sicut ab olim hoc se habuisse dinoscitur, quilibet contra alium ius suum debebit prosequi coram nobis vel coram alio iudice competente. Insuper nostri gogravii seu alii iudices seculares bladum seu garbas necnon pecora seu alia quecunque animalia in campis cum gladio deinceps nullatenus arrestabunt, sed, si quis contra aliquem aliquid habuerit questionis, is alio modo et ordine iudiciario coram competente iudice suam querimoniam instituat et prosequatur. Item dictos nostros nobiles, minist(er)iales, vasallos, civitatem et oppida supradicta in omni eo iure et consuetudine honesta, quibus ab antiquo gavisi sunt, servare debebimus et fovere. In quorum testimonium nostrum et ecclesie nostre sigilla sunt appensa presentibus, quos (!) super hiis in futurum perpetuo observandis eisdem nostris nobilibus, ministerialibus, vasallis, civitati et oppidis predictis duximus concedendas (!).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Et nos .. prepositus, .. decanus et .. capitulum predicti omnia premissa de nostro consensu et voluntate recognoscimus taliter esse concessa et statuta in eius testimonium sigillum ecclesie nostre una cum dicti domini nostri .. electi et confirmati sigillo presentibus appendentes. Datum et actum apud Larrebroke anno Domini millesimo trecentesimo, nono, in crastino commemorationis beati Pauli apostoli.

Orig. St.-A. Coesfeld Urk. I Nr. 30. Siegel von Münster (verletzt) anhangend. Druck: Kindlinger, Münst. Beitr. II Urk. 303.

21.

Die Stadt Dülmen bittet die Stadt Coesfeld, der nach Dülmen verziehenden Familie Sterre die dieser erblich zugefallenen Güter zu Coesfeld zu verabfolgen. [1])

Honestis viris ac discretis .. consulibus in Cosveldia .. consules, iudex atque scabini opidi Dulmenensis sinceri affectus constantiam. Cum affectu vestre honestati protestando notificamus, Hermannum et Henricum dictos Sterre nostros liberos fore coopidanos necnon fratres Everhardi eiusdem cognominis vestri quondam concivis vobiscum defuncti. Quare rogamus honestatem vestram prefatam, quatenus amore dei et nostrarum precum intuitu bona, qualiacumque fuerint post obitum antedicti Everhardi relicta, faciatis integraliter eisdem assignata, cum ad ipsos huiusmodi bona antedicta, prout nobis constat, sint iure hereditario devoluta, nec vobis de bonis eisdem traditis et assignatis non posse fieri inpeticiones secundarias in futuro. In huius rei testimonium sigillum nostri opidi presentibus est appensum.

Orig. St.-A. Coesfeld Urk. I Nr. 31. Siegel ab.

22.

Bischof Ludwig von Münster bestätigt die Vorrechte der Stadt Coesfeld und verleiht ihr das Recht, gegen Angreifer mit Waffengewalt auszuziehen. 1314.

In nomine domini Amen. Lodewicus dei gracia Monasteriensis ecclesie episcopus omnibus in perpetuum. — — — [1]) Preterea ex specialis gratie dono et traditione gratuita dictis nostris concivibus seu burgensibus de Cosveldia contulimus et conferimus stabili

---

[1]) Hier folgt der Wortlaut der Urk. 7: Quoniam etc. — roborari.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

et perpetua duracione et permanencia inviolabili per presentes, quod contra quoscunque iniuriatores seu violentos invasores ipsorum burgensium seu rerum suarum se defendant et vindicent suorum adiutorio amicorum egrediendo et regrediendo Cosveldiam sibi factas iniurias et violencias, de quibus stare voluerint coram nobis vel nostro iudice, qui pro tempore fuerit, in Cosveldia pleno iuri. Volumus etiam ipsis burgensibus nostris in defensione suarum violenciarum et iniuriarum ope digna assistere, dum ab eisdem fuerimus inploratorie requisiti; item prescise volumus, ut, quicunque noster iudex pro tempore in Cosveldia ab eisdem nostris concivibus requisitus fuerit, eisdem super iniuriis et violenciis sibi irrogatis vindicandis consilio et auxilio nostro nomine suffragetur. Quam specialem donationem sigilli nostri munimine in robur et evidenciam eiusdem duximus confirmandam. Datum anno Domini M°CCC° XIIII, ipso die invencionis sancti Stephani prothomartiris.

Orig. St.-A. Coesfeld Urk. I Nr. 32. Siegel an rot- und gelbseidenen Fäden an.

23.

Bischof Ludwig von Münster gewährt der Stadt Coesfeld zu Behuf des Festungsbaues und zu ihrer Aufbesserung eine Accise. 1316.

Ludewicus dei gracia Monasteriensis ecclesie episcopus dilectis suis universis civibus in Cosveldia suam graciam cum salute. Cum facti evidencia comprobante vos invenerimus in prestandis nobis et nostre ecclesie predicte serviciis et subventionibus aliis promptiores, volentes, ut exinde de nostre donationis liberalitate et gracia conferente alicuius commodi et profectus appareat reconpensa, vobis universis vestrisque successoribus concedimus, et tradimus tradicione perpetua, quod nec persone vestre nec bona vestra vel vestrorum successorum possint aut debeant foris per gladium arrestari. Item concedimus et tradimus vobis et vestris successoribus ad cursum duodecim annorum continue se sequentium absque nostra qualibet retractacione, quod plenum habeatis posse disponendi et ordinandi ordinacione, que vulgo satinghe dicitur, de rebus quibuslibet venalibus infra nostrum oppidum Cosvelde ad opus structure et emendationis oppidi iam predicti. Item ad idem tempus vobis presentibus indulgemus, quod nullus concivis Cosveldensis ad herwadium equum dabit nec equi equivalum requiretur, sed equus, si quis habetur, relinquetur heredibus et hospicio decedentis. In cuius

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

rei evidenciam et munimen sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum anno Domini M°CCC° sexto decimo, ipso die Gereonis et Victoris martirum.

Orig. St.-A. Coesfeld Urk. I Nr. 33. Siegel an.

24.

Die Städte Warendorf, Beckum und Ahlen bescheinigen, daß sie von den Städten Coesfeld, Bocholt und Borken 550 Mark erhalten haben. 1320.

•• Universis presentes litteras inspecturis sive audituris nos •• consules et •• scabini oppidorum Warndorpe, Bekehem, Alen salutem et infrascriptorum intelligere veritatem. Tenore litterarum presentium notum facimus publice profitentes, quod littera patens sigillata sigillis reverendi domini domini nostri Ludowici episcopi et •• capituli Monasteriensis ad manus et ad nutum •• consulum et •• scabinorum oppidorum Cosvelde, Bocholte, Borken nostrorum dilectorum in reservatorio unius nostrorum reservatur, ita scilicet, si, quod absit, dicti •• consules et •• scabini Cosvelde, Bocholte, Borken litteram suam predictis sigillis sigillatam casu infortunio, incendio sive negligentia aut modo quovis alio perdiderint, poterunt, dum oportunum fuerit, dicta littera reservata in reservatorio unius nostrum, scilicet Warndorpiensium, Bekehemensium aut Alensium, causa delectationis aut necessitatis, quod absit, libere utifrui. Preterea profitemur, oppida antedicta quingentas marcas et quinquaginta marcas hoc modo, quod Cosvelde ducentas, Bocholte ducentas, Borken centum quinquaginta marcas, expendisse. In quorum omnium testimonium et robur firmum nos •• consules Warndorpienses, Bekehemenses, Alenses prelibati sigilla nostra secreta duximus presentibus apponenda. Datum anno Domini M°CCCmo vicesimo, feria quarta post dominicam, qua cantatur Quasi modo geniti.

Orig. St.-A. Coesfeld Urk. I Nr. 34. Die 3 Siegel (beschädigt) an.

25.

Bischof Ludwig von Münster bescheinigt, daß die Städte Warendorf, Beckum, Ahlen, Coesfeld, Bocholt und Borken ihm 1100 Mark geliehen haben, und verpflichtet sich, bis zur Rückzahlung jenen Städten keine Schatzung aufzulegen. 1320.

Wi, Lodewich, van der ghenade godes biscop to Monstere, don kondich allen den ghenen, de dessen bref sien und horen lesen, dat wi sculdich sin den scepenen und den borgheren to Warendorpe, Bekeheym,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

